



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Gvaiferivm Principem Salernitanvm.  
Monet vt a molestiis desistat, quas Capuanis inferebat. significat se in eius  
regiones iturum, & discordias sedaturum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

dentium , ab inimicis vicinis perturbantur , omnisque illorum , imo nostra familia crudeliter assidue vexatur & opprimitur , ita sane vt neque arare , neque cetera , quæ ad terræ culturam pertinent , possit exercere . Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis , & contra Dei atque eius aduersarios manum vestræ potentia , pro amore Dei , & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli , nostraque dilectione extendatis , quatenus vestro potenti brachio freti , salui in omnibus & securi consistant , vt & in praesenti dignas a nobis retributiones & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem recipere .

## EPISTOLA CXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Monet vt a molestiis desistat , quas Capuanis inferebat .  
significat se in eius regiones iturum ,  
& discordias sedaturum .

*Nobilissimo viro Guaiferio glorioso principi .*

**R**E LATV quorumdam didicimus , quod suadente humani generis inimico , qui totius inimicitiae , & mortis est auctor , cupiatis multiplicita damna , & aduersa inferre Capuanis ; & propter discordia malum , quod saeculi quotidie liuore generatur , & inter propinquos , atque amicos accrescit , cogitatis generale discrimen præbere , vnde scilicet non modica turbatio his vestris in partibus oriatur , & longi temporis scandalum maneat . Et dum non desint extranei hostes , cum quibus assidue luctamen habeatis , vultis contrarietatis discrimina præbere propinquis quos in auxilium vobis opportunum poteratis habere fautores . Nos idcirco , more paterno , vos quasi dilectum filium admonemus , & ex Dei omnipotentis auctoritate , beatorumque apostolorum Petri & Pauli potestate , prohibemus , vt non habeatis licentiam super præfatos Capuanos ire , neque aliquam illis contrarietatem inferre usque ad nostrum specialem aduentum . Quoniam , Deo auxiliante , cum huius aestui temporis feruor transferit , pro omnium vestrum salute , concordia & ynanimitate , has vestras in partes veniemus : quatenus , nobis præsentibus ,

omnis vis sopiaitur, omneque scandalum, quod ex vipe-  
reō semine inter vos & illos accreuit, de medio vestri au-  
feratur. Nos namque salutem vestram, ne in æternum  
pereatis, cupimus: & ideo volumus, vt ea, quæ pacis sunt,  
se&temini semper. Nam pro vestro cum venerimus amo-  
re, ipsum quem vultis Capuanæ plebi, Domino fauente,  
antistitem ordinabimus, vt vester principalis honor indi-  
minutus permaneat. Quod si forte aliter vos facere cognouerimus, scitote quia nostræ vos non habebimus com-  
munionis confortes.

## EPISTOLA CCXV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PANDENVLFVM CASTALDVVM.

Significat se Guaiferio scripsisse vt ab inferendo Capuanis  
damno desisteret.

*Nobili viro Pandenulfo glorioſo castaldo.*

**R**ELECTIS industriaꝝ tuꝝ literis, quas per talem fide-  
lem hominem tuum nobis mandasti, ea quæ nostro  
pontificio supplicare studuisti apostolica dumtaxat beni-  
gnitate audiuiimus, ac, proutratio exigebat, partim com-  
pleuimus. Direximus namque nostri apostolatus literas  
Guaiferio, & admonendo, increpando, atque excommu-  
nicando eum non habere licentiam ex Deo, & sancto-  
rum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate  
permissum venire contra vrbum Capuanam, neque ali-  
quam in omnibus suburbanis, & finibus eius contrarieta-  
tem inferre, nullasve moliri insidias, vsquequo istas in par-  
tes, auxiliante Domino, post huius æstiui temporis fer-  
uorem veniremus.